



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Maria restituit. n. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

PRÆFATIO.

rificem esse caput Ecclesiæ. Tum anno altero, Regis auctoritate, Sacrosancto Missæ Sacrificio, & consueta in Ecclesiis præcædi formâ aliolis, noua instituitur vulgari idiomate; Supprimuntur libri antiquorum rituum, tolluntur Christi Sanctorumque imagines, formatur aliud corpus Iuris Ecclesiastici, alij ritus Episcopus, reliquosq; Ecclesiæ Ministros initiandi, & conferendi Sacramenta.

VI. Videbatur his adminiculis Hæresis obrinuisse, cum defuncto Edwardo Maria Filia Catharinæ (quam & prolem ex ea susceptam Henricus repudiarat tanquam illegitimas) communi ordinum voto agnosciatur Regina. Hæc a matre Catholica Catholicis imbuta moribus, fidem ritusq; antiquos conatur restituere: Itaque antiquatis legibus ab Henrico & Edwardo dictis, quæ Religioni aduersabantur, summi Pontificis auctoritas, potestas Episcoporum, Cleri populique distinctio suis locis reponuntur. Felix conatus si operi corroborando dies non defuisset: Vno anno minus Edwardo vixit. Elizabetha vero, Filia Bolinæ, vix tribus mensibus post Mariam regnauerat, cum appellationem capitis Ecclesiæ Anglicanæ, quæ Mulier, declinans, potestatem Capitis curauit sibi per ordines Regni confirmari, & Iuramento proposito stabiliri, dicta suprema Gubernatrix in spiritualibus æque ac in temporalibus: eo fine ut quibus auspicijs regnum, ijdem non in temporalia modo, ut cæteri regum, sed in spiritualia omnia potestatem adeptæ esse crederetur, utq; nihil siue politicæ, seu Ecclesiasticæ Auctoritatis cuiquam inesset, nisi in quem à Regina per patentes literas illa dimanaret.

VII. Idetiam conatu præcipuo agebatur, ut per vniuersum Regnum vulgaretur, prorsus nihil potestatis esse summo Pontifici in quenquam Regine subditum, quamdiu is intra Angliæ fines se contineret: Natæ enim ex Matrimonio per Pontificem reprobato persuadebatur, & ipsum Regnantem semper fore infensum tanquam illegitimum, & à nemine subditorum sperari posse certam indubitatamq; fidem qui Pontifici, hoc est, uti credebatur, inimicæ potestati non renuntiabat. Hinc anno quinto Regni edicitur mulctandus omnibus facultatibus & perpetuo carcere, quicumque verbo, aut scripto aut actione quapiam affereret Pontificis auctoritatem quam olim in Angliâ habuerat: Anno vero 13. & vigesimo tertio lesa Majestatis reus, qui rescriptum quoduis Pontificium obtinisset, siue ad lapsos Ecclesiæ Catholicæ restituendos, siue alia quapiam de causa; vel qui subditum Regine aliquem sedis Apostolicæ conciliaisset.

VIII. Et quoniam Sacerdotes in Seminarijs transmarinis educati, atque ritè initiati, habebantur potestatis Pontificiæ præcipui assertores & ij maxime qui Societati Iesu nomen dederant, hi varijs ab initio agitati calumnijs & inquisitionibus, anno vigesimo septimo regni, nouo edicto proscribuntur; si non exularent, aut si semel exules redirent, aut si qui noui aduenerent, non aliâ conditione censendi quam Proditorum. Itaque annis quadraginta quibus ad clauum sedit Elizabetha, vix credi potest quantum effusum est innoxij sanguinis, quot questionibus exerciti, quanti is molestijs vexati sint omnium ordinum Catholici, dum summi Pontificis auctoritas ubique habetur

Maria res
stituit.

Elizabethæ
reassumit.

Anno 10
c. 1.

An. 5. c. 2.

Et profecti
bit Sacer-
tes.

Post hinc
notior.